

/ Clarissime vir,et amice in Christo charissime.

Literas tuas pridie S.Matthei datas libentissime legi; te enim ex corde diligo. Gratulor quoque accessionem honoris,et laboris praesertim tam necessariii,et pii; ut de te dici possit, quod de apostolo Paulo, qui persequabatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat. Libellos, quos ad me misisti, nondum accepi. De me breviter accipe. Veni Romam ad comitia pontificia, sed cum ad ecclesiam meam redire pararem, Paulus V. Pontifex maximus se Romae opera mea uti velle significavit. Itaque Capuanae ecclesiae, quam Pontifice maximo iubente regendam susceperam, Pontificis Maximi iussu nuncium remisi. Vale amice optime, strenue Christo milita, meque commilitonem tuum,ut facis, ama. Deus nos in aeterna sua domo coniungat. Romae 1605.

---

Carte Cerviniana, 54/94. Minute autogr.